



Faint, illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.

DECANVS

ORDINIS PHILOSOPHICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI,

M. HERMANNVS *Becker/*

EIVSDEM COLLEGII ASSESSOR,

SAPIENTIAE ET INGENVA-

RVM ARTIVM CANDI-

DATIS

S. D.

Faint, illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.



Generosi est animi, in literarum studia sic incumbere, ut per omnes honoris gradus, ad summam, tandem aliquando, dignitatem efferatur. Qui antiquitate generis, et gloria maiorum florent, eo connituntur, ut in illorum vestigiis insistant diligenter, et perseverent, ut ad seram usque posteritatis memoriam, in ipsis superstites esse uideantur. Quae ambitio non caret laudis argumento, animumque ad magnae cultum fortunae educatum, et maiora appetentem, a uulgo distinguit, ad latusque illustrium uirorum adiungit, fortunamque ipsorum cum uirtute laudabiliter exaequat. Gregarii munere non sunt contenti nobiliores animi, qui militis nomen captant, sed eo, quam celerrime fieri potest, deposito, ad eam dignitatem, qua aliis imperare possunt, dies noctesque aspirant: in aulis Principum qui uiuunt, tales uitae ineunt rationes, ut eo citius, splendidissimo munere clementissime praeficiantur: mercatores uitam ligno Neptunoque concredunt, ut, diuitiis, nec firmis, nec diu duraturis, comparatis, praeter ceteros honorentur. Honore digni certe sunt, qui optimarum artium studiosi, diligenter eis operantur, eandemque accessione facta, confidunt firmiter, praeclaro se munere tandem esse functuros. Literis qui nauant operam, ac multum in iis laboris consumunt, liberalioris sunt animi, eoque contendunt, ut tam Regibus, quam Principibus, a latere consiliisque esse possint, reique publicae commodis inservire, ac dignitatem suam amplificare. Veri bonarum artium existimatores, mercatorum more, se mari committere, et sapientiam diuinam pariter, atque humanam, anxie coemere, ac utriusque diuitias, nunquam interituras, in mente, animoque recondere multa, cum laude confueuerunt. Quo factum est, ut breui illustrentur. Hos tales honoribus academicis fuisse condecoratos, nemo negabit, nisi hospes in rerum monumentis. Honores autem academici, generatim loquendo, auctorem agnoscunt Iustinianum, Imperatorem, cuius scripta etiam nunc superant, & iuris sacerdotes mirum in modum iuuant, eisque magno sunt usui, praesidio, ac ornamento. Intelligebat gloriosissimae Caesar memoriae, mentes

tes

tes hominum ceræ instar flecti, honoribusque incendi, ad res magni momenti, suscipiendas. Quæ causa erat, cur honores decerneret iis, qui eximia uirtute præditi, doctrinaeque fama florentes, reliquos antecellebant. Sed, ut honores academici, qui in nauos literarum cultores conferuntur, maioris essent, ipsimet Principes illis se curarunt insigniendos. Tanto in pretio honores olim academici, uirique literis exculti, fuerunt. Quanti Aristotelem, et Anaximenem, fecerit Alexander M., Curtius est testis: quanti Augustus Imp. Maecenatem, aliosque literarum notitia imbutos, duxerit, Suetonius memoriae prodidit: quanti Maximilianus I Imp. R. uiros, doctrina claros, aestimarit, præter ceteros, Guicciardinus annotauit: quo animo Sigismundus in artium liberalium studiosos fuerit, uerba eius indicio sunt: unum se studiosum, inquebat, pluris facere, quam centum nobiles, causa interposita, uno se die centum creare posse nobiles, sed ne unum quidem studiosum, prout Iac. Spigel. in Aeneam Syluium consignauit. Quid senserit Fridericus Sapiens, El. Saxoniae, Almae nostrae Leucoreae conditor, de Mellerstadio, Luthero, Melanchtone, aliisque uiris, apprime doctis, Albinus, Fabricius, et ex his, paucis abhinc annis, Mullerus, multis uerbis tradiderunt. Nihil ut iam dicam de Gloriosissimo Augusto, Saxoniae quondam Duce, deque eius munificentia, quam in hanc Academiam, eiusque Doctores, et alios gratiosissime contulit, et cumulauit. Vnam adhuc rem de Friderico, quem modo nominauimus, libet proferre, quam in historiarum monumentis relata legimus, et obseruamus. Dabat in mandatis Princeps Clementissimus, ut primis tribus annis, post Academiae huius fundationem, Doctores omnium Ordinum gratis fierent, et sine auri pondere renuntiarentur. Tanti Serenissimus Princeps, una cum Justiniano, fecit titulos, honoresque academicos, ut eos, qui aliis doctrina praestabant, illis uoluerit impertiendos. Adeo uerum, et experientia confirmatum est, quod omnes, qui non sunt ignari eorum, quae geruntur, bene sciunt, in aulis Principum, Doctores non minus SS. literarum, quam Iurisprudentiae, Medi-

Medicinae similiter, atque Philosophiae, publica munia obire, et uix quempiam ibi admitti, ad munus quoddam splendidius capellendum, nisi titulo academico sit ornatus. Tali modo Principes ipsimet honores academicos uentur, eorumque dignitatem esse retinendam, recte arbitrantur. Quae cum ita sint, difficultates, quae alibi obiciuntur, esse nullas, existimamus. Versantur non nulli haec in opinione, ut, honores academicos, neque esse necessarios, neque petendos, sed abrogandos, proscribendosque, uociferentur. Sententiae suae praesidium quaerunt in uerbis Seruatoris nostri humanissimi, qui appellationem Magistrum improbauit, & unum se Magistrum pronuntiauit. Profecto non titulum, nomenque Christi perstringebat, sed Pharisaeorum fastum, magnosque spiritus, quos sibi sumebant, propterea quod primum ubique locum uolebant tenere, et omnibus esse superiores. Dilictos honorum gradus Deus in rem publicam sacram et civilem, domesticumque statum introduxit, qui Pontificem Summum, Antistites, Vates, laici nuntii Praecones, Legatos, Pastores, Doctores, Reges, Principes, eorumque uarios administratos, herum, seruum, patrem, filium, constituit, et constituendos praecipit. Quarum sane rerum memoriam tollere, et delere nobis uidentur, qui honores academicos defugiunt, conuiciis proscindunt, omnibusque modis detestantur. Improbant hi, quod DEVS approbat, approbant, quod Deus improbat, deltruunt, quod Deus struit, struunt, quod Deus destruit, Ordinesque, nobis a Deo ex gratia praescriptos, impugnant, praepotentiue eorum auctori aduersantur. Haec eo ualent, ut Academiae auctoritatem imminuant, imminutam labefactent, labefactam ludibrio exponant, literarumque dignitatem iuxta, ac utilitatem reddant suspectam. Aliter Vos sentire reor, Candidati, Sapientiae dignissimi, acqussimique honorum exultatores academicorum, qui in publica iam estis constituti dignitate, uel magna cum dignitate propediem uiuere peroptatis. Recte de la Serre, non genus, inquit, sed uirtus nobilitat, ad cuius sententiam omnes sapientes descendunt. Nobilitatem uobis attulit uirtus, uirtus hanc uobis augebit nobilitatem, nobilitatem dignitatemque uestram honores academici, sine quibus in Academiis ad altiora ascendere non potestis, mirum in modum amplificabunt. Ne dubitets ergo seruire dignitati, uelificati honoribus uestris, eosque capefere titulos, quibus omnes, qui eos modeste petunt, proditus industriae, doctrinaeque exemplis, die XVII. Octobr. a. c. publice afficietur. Deum uero, honorum Ordinumque auctorem, uindicemque supplices ueneramus, ut eos tueatur, literasque bonas in perpetuum conferuet, quo floreat illae, & utriusque reipublicae gubernacula feliciter stabiliantur. P. P. ipso anniuersario Mariae sacro, anno R. G. M. DCCX.

VITEMBERGAE SAXONUM,
PRELO SCHVLZIANO.



Ung VI 3

W 18
V 17



E C A N V S
 S PHILOSOPHICI
 IN
 IA VITEMBERGENSI,
 MANNVS *Becker*/
 COLLEGII ASSESSOR,
 AE ET INGENVA-
 RTIVM CANDI-
 DATIS
 S. D.

